cum scilicet posset maximè i Mone universos et persuade singulis et inculca, sicubi operâ meâ juvari possint, experturos ubique quam indubitato jure totus sim ipsorum, qui certissimo meritissimoque

Totus tuus.

Hagæ Comitis Natali Dni CIƆIƆCXXXII C. H.

Addo aliquid Barlæi, in quo tam grandis epistolas nauseam deponas.

(169)

Tuldeno.

Si conjicere per te nequis, Vir Amplissime, quæ tam tardæ scriptioni meæ causa sit, ad Puteanum rogo te remitti patiaris summum virum, quo citra invidiam, præsenti non fruimur. Illi ego tam prolixus intermissi apud vos officii rationes reddo, ut, si quid erga omne Lovanium peccaverim, tot verbis videar posse luere. Tantum abest, ut de humanitate tuâ dubitem, an in solutum acceptura sit tam bonum nomen. Quam velim pari dellegatione illo me liberari posse, quod muneribus tuis continue gravi ingratè contraho! et Puteano placeat concurrere inopi amico, non ære suo, sed facundiâ, quam in promptis ille semper, tu auro mecum chariorem habes! sed in mentem festinanti paupertas ipsa non venit, et mendicus nempè non fui, quia cur hoc essem tantisper non occurrit, quam in alterius debiti solutione versarer, in horam dives, et futuri, ut solemus inter præsentia ne quidem capax. Ergo jam de privato meo sic habe: accidere nihil mihi acceptius posse ijs donis, quæ et ab amicâ mihi manu profecta sunt, et ab eâdem tuâ manu doctissimâ tersissimâque universo offeruntur: instituto sanè tam utili (et assentari planè non libet) ut asserere quotidie inter literatos non dubitem, neminem te prolixius, ipsâ hâc tam succulentâ brevitate, meruisse de parum hactenus felici Imperatore, quem certatim innumeri tenebriones nugacissimis ambagibus implicitum ivere, sollicti, ut Jocari soleo, ne nimium illi terra levis sit, et futilibus chartis usque obruendum rati, ne fortè exsurgat impatiens et imprecatum redeat quas mereretur diras, mortalium omnium ingratissimi hæredes. Si librorum censor sim, ità publicè proloquar. Nunc in sinu tuo hæc

depono

depono, et ita me tu ames, de Batavo sinu, quem
ille affectus incolit, quo te diligere; et quanta par est
observantia prosequi nunquam desiturus sum.
Vale Vir Amplissime, et properanti nunc quoque
ignosce tumultuariam dictionem. Hagæ Com:
sacerrimo natali d. nostri J. Christi 1632.

Tuus.

(170)

Heinsio.

Illustribus Polonis, quos nuper frustra commendasti
cum se possent maxime, officia ~~mea~~ Omnia, quæ a mei loci
homine, et quidem tui amantissimo expectare pote-
rant, libens meritoque detuli; pauca præstiti, quæ
pro humanitate summa, qua excellunt, arbitror ha-
buisse grata et accepta. Quod nunc pro manu est
ad te pertinet. Græci in quam versiculi isti, quos nuper
Obiter inspexisti. Rogatur N. Mylius, ut excudendos curet,
si prælo digni censeantur, quod in transcursu lector
non dubitem asserere. Sed nimirum tu, ss, præcipua
argumenti pars cum sis, et in magna tetrade, quam
~~in Triade sanius constitisset, se~~ se prodire autor putat
cum in Triade sanius constitisset, cum Rigaltijs, Mau-
sacis, et quodam tertio noto compos..fris, imprimis con-
sulendus es, ecquid gratam editionem carminis habitu-
sis. Adverte si tanti est, mentem, et sententiæ meæ
suffragium ne expecta, nisi tuo in antecessu prodito.
Parum est in mora periculi, nisi quod noster Mylius
gratificari amat, quam potest citissime. Vale Vir
Summe et me ama. Hagæ Com: 15. D:
Jan: CIƆIƆCXXXIII.

Barlæo.

Clarissime Barlæe. (171)

Quadringentos florenos, quos illustrium laborum tuorum
nescio an vile pretium, dono tibi mittendos Princeps
jussit, tuo nomine heri hic recepi. Eosdem Amstelo-
dami ex assignatione, quam hisce adjungo, ab affine
meo Bekkerio ut reciperes, potius duxi, quam ut
viæ periculum adirent illi, tu subires impensam: Ad
Usuras Mercatorias ista si exigas, poterant his data videri
si promptius, sed captandas horas, nobis, et momenta q.
a aula gratificari amicis cupimus, aut pridem nosti, aut
jam dices, et me ama, qui te constantissime. Hagæ Com: Non:
Jan. anni CIƆIƆCXXXIII., quem porro prosperum et aureum
tibi tuisque precor.

Tuus. C. H. Fslio